

ctens, quod à porta Minoritana usque ad portam Jacobitanam est exstructum.

*I.* Quomodo tres hæ partes propriis exprimuntur nominibus? *K.* Prima dicitur Udalricana pars tertia: altera Stephaniana, & ultima Jacobitana. *I.* At audiui, eam quoque distribui in quinque partes, nempe in superiorem, & mediam, ac in tria suburbia, Vindanam scilicet, quæ etiam urbis inferioris nomen habet; deinde in Jacobæam & tandem Crucianam. *K.* Ita quidem est, sed parum refert, quia quævis divisio locum habere potest.

### Colloquium VI<sup>tum</sup>.

*De portis urbis.*

LEONHARDUS et MARTINUS.

*L.* Quot numerat urbs nostra portas?  
*M.* Decem, quatuor majores, & sex minores. *L.* Quænam dicuntur majores? *M.* Porta Göggingensis: Wertachiana